

tam, antequam Stephanus lapidatus fuissest (inde a Christianis jam olim porta S. Stephani appellata) Christiani primum, ea effracta, irruperunt, adhortante eos ex opposito monte Oliveti milite quodam (qui forte Stephanus fuit) teste Tyrio, l. VIII. belli sacri, c. XVI. satis per hoc indicante Deo, quod regnum cœlorum per dilectionem inimicorum, quasi per viam ac portam S. Stephani, velut armata manu et certissimo expugnetur.

IV. Quarto, iis qui primi murum hostilem inscindissent, et in arcem vel urbem penetrassent, dabatur *corona muralis*, muri pinnis decorata. Debetur et hæc Stephano, qui primus omnium per martyrium ascendit in arcem cœli; unde jam apertum sibi ostium cœli videns clamat: *Video cœlos apertos*, quasi diceret: Jam supra murum cœli sto, jam introspicio in cœlestem civitatem. Reperio semper eum, qui Jerosolymam primus ascendisset, singulari præmio donatum, uti Joabum, l. Par. XI. Idem Titus promisit, et Sabinus tentavit, apud Josephum, l. VII. de bello, c. 4. Denique, Godefridus Bullionius, qui anno 1099. turri lignea admota, primus murum concendit, adeoque etiam primus Jerosolymæ rex postea electus est. Scimus autem Jerosolymam typum esse cœli. Jure igitur prima martyrum pulcherrima laurea Stephano debetur, qui primus vi adhibita et sanguinem fundendo cœlum expugnavit. Quisquis ergo ad primam et præcellentem lauream in cœlo accipendam aspirat, non dubitet in terra præcedere fortunis exemplo. Quantam putatis meruisse coronam duos adolescentes nobiles, qui in Pomerania fidem primo amplexi, initium dedere conversioni totius Pomeraniae, prædicante ejus evangelium S. Othono episcopo Bambergensi! Rem narrat in ejus vita Andreas abbas S. Michaelis, apud Sur. 2. julii, l. II. c. XVI. et XXVII. his verbis: « Quotidie, dum hæc geruntur, fidei retia laxantibus, et nihil nobis capientibus, et multum super hoc tædenteribus; tandem benignus Dominus sed utilitatem boni servi sui Othonis, laborem, quoque et mœstitudinem miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adolescentes, filii cuiusdam nobilis de civitate (Stetino) domum nostram frequentare, familiares se præbere, paulatimque de Deo nostro, et de fide quædere cœperunt. Episcopus autem sentiens quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando præsagium, blandis mulctis alloquisi, atque de munditia et honestate christianismi, de immortalitate animarum, de resurrectione corporum, de spe et gloria æterne vitæ adolescentibus per singulos dies evangelizavit; quæ omnia, flante Spiritu sancto, pueri altius suis imbibere pectoribus: neque diu cunctati, credere se velle, atque

baptismum percipere dixerunt. Episcopus ergo latissimus pueros statim cathechizat, ac de omnibus, quæ christianæ religioni competebant, diligenter instructos jussit, ut loti et lotis induiti cum cereis suis albissese præberent baptizandos. Illi ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis et purificatis, novisque ac mundis vestibus induiti cum albis et cereis, percepturi sanctum baptismum se manibus episcopi obtulerunt. Videns humano in corpore vultus angelicos, videns expulsa dæmoniaci squaloris inertia, in vultibus juvenum Christum novum hominem, gratioso jam coruscare aspectu, pontifex ipse omnesque alii sacerdotes et clerici gavisi sunt, et admirati super gratia, quam videre in pueris. Sed quid morer? Baptizati sunt, et propter octavam purificationis octo dies apud nos comorantes, in domos parentum non sunt reversi. » Et paulo inferius: « Praefati pueri, cum ad suos adolescentes pervenissent, et quomodo ab episcopo habiti et instructi essent, et quanta apud illum esset disciplina et honestas, quanta pietas et mansuetudo, ruminare cœperunt: mox etiam quantæ munificentia et liberalitatis circa omnes extiterit, prædicare oblii non sunt. Atque in argumentum rei: Cernite, inquit, his induimentis post omnia beneficia sua nos induit, his aureis cingulis honoravit, pecunia sua captivos redemit, suis impensis eosdem vestit, cibo reficit, et liberos abire dimittit. Quid unquam simile visum auditumque in terra Pomeranorum? Quid simile pontifices et sacerdotes nostri faciunt? Hunc certe aliquem visibilem Deum inter homines advenisse, ipsa gratuita redemptio captivorum in cippis et compedibus putrefactorum, multos cives nostros fecerat autumare. Sed ille hoc negans non Deum se, sed Dei altissimi servum pro nostra salute ad nos directum dici et credi optat: et animæ immortalitatem et corporum resurrectionem et æternæ vitæ gloriam, doctrinam dicit esse Christianorum. Hæc et his similia pagana juventus a juvenibus audiens, aspirante gratia Dei, tracta est et attracta per eosdem in eumdem fidei fervorem: reversique ad episcopum, pueri fide recenter imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxere coævorum, evangelii rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? Catechizantur, baptizantur, et a pueris et juvenibus cana patrum prudentia se passa est erudiri: flammatum fidei paulatim progrediente, concaluit civitas universa, neque jam occulte vel pauci, sed publice et multi simul quotidie veniebant ad fidem. » Ergo duo adolescentes prodromi ad baptismum, post se traxere totam Pomeraniam, sicut Stephanus juve-

nis tot millia ad martyrium. Quando igitur tot coronas tanto jure promeruit S. Stephanus, superest ut ei omnes congratulemur, velut omnium martyrum duci et vexillifero, primam inter martyres coronam. Cæterum rogemus eumdem, ut quemadmodum Godefridus Bullionius, muro Jerosolymæ consenso, et desultu in urbem facto tamdiu dimicando, hostem detinuit, donec fratri suo, foris adhuc pugnanti, potestatem facheret reserandi portam, ut et ipse cum suis copiis urbem ingredi posset: sic etiam in cœlo Stephanus sua ad Deum intercessione pugnet pro nobis, qui adhuc foris militamus, donec ipsi quoque, reseratis cœli foribus, ad ipsum aliosque cœlitas cum triumpho ingrediamur.

## CONCIO V.

QUID COMMISERIT S. STEPHANUS UT LAPIDARETUR.  
Sanctus Stephanus lapidatus est: I. Quia veritatem dixit Judæis. — II. Redarguit obstinatos. — III. Dissimilis in moribus fuit suis adversariis. — IV. Fuit sectator et spectator Christi. — V. Sanctus Stephanus vidit cœlos apertos.

## THEMA.

*Persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus. Matth. XXIII.*

Celebres a sapientia Athenienses olim hanc consuetudinem habuerunt, ut subsellia judicum, qui de sanguine alicujus judicaturi erant, porcelli alicujus, prius mactati, rore sanguineo ante consessum leniter respergerent (teste Sigan. apud Caussin. l. V. symb. II. XX.) ut memores essent judices, se de vita et sanguine hominis decerne: quem si injuste profunderent, scirent se ita respersum iri hoc cruento, uti subsellia, in quibus sedebant, sanguine porcelli. Adeo etiam ethnici grave visum est judicium de sanguine, ne temere, inconsiderate et tumultuarie peragere. Quid respondebunt hic Hebræi, qui B. Stephanum absque ullo juris ordine, non probatis testibus, facto in eum impetu, et concilio exturbant et lapidibus obruerunt? Nonne Stephanus sanguine seipso consperserunt? Dicite enim vos judices: Quid malum egit Stephanus, ut eum nec convictum, nec ulla sententia condemnatum tam diro suppicio afficiatis? Nihil afferre potestis, nisi furorem vestrum et odium in sanctum. Sed enim, dicet aliquis: Debet fuisse causa aliqua, quæ Stephanum damnavit, quæcumque tandem illa. Fuit non diffiteor, nec una, sed plures, quas hic exponam.

I. Veritatem Judæis dixit; ideo lapidatus est.

Accusatus enim est a testibus subornatis, quod dixisset subvertendum a Christo locum sanctum, seu templum seu civitatem Jerosolymam, et immutandas traditiones Moysis, seu legem, Act. VI. At hoc erat veritatem dicere, quod ad rei substantiam attinet; quia revera templum et civitas eorum eversa est, lex in evangelium mutata. Falso tamen accusant Stephanum, quod dixerit a Christo subvertendum templum (nam a gentilibus id faciendum prædicterat Christus, et ex eo Stephanus) et mutandam legem Moysis; quam Christus non solutum se, sed adimpletur dixit; et secundum hæc recte appellantur illi falsi testes. Causa igitur denuntiationis Stephanus erat, quia veritatem edixit; siquidem revera contigit quod dixit. Unde Gregorius Nyssenus, oratione Stephano ait: « Quod maleficium in his verbis continetur, sive vera sive falsa loquatur. Nam si quidem mentitur, id quod angit et male habet, non eveniet: sin autem vera dicit, quænam est injuria sermoni, quo prædictur id, quod eventum sit? Nam quæ fient, prorsus evenient, sive sileamus sive loquamur: at cædes prædicentis quam affert incommodorum prædictionem? » Sed hoc ipsum erat quod Judæi audire horrebant, ut malum id eventurum eis prædicteretur. Nimirum tristium denuntiatio et veritas odium parit, juxta id sapientis cuiusdam inter veteres philosophos celebratum: *Ex tribus pulcherrimis matribus tres de formissimos filios generari: ex pace otium, ex amicitia contemptum, ex veritate odium.* Celebre hujus rei exemplum est Achab rex, qui bellum eventum exploraturus, quadringentos circiter pseudoprophetas consuluit, solum Michæam, verum prophetam preterivit: sed quare? *Odi eum*, inquit, *quia non prophetat mihi bonum, sed malum*, III. Reg. XXII. Quid vero id obfuit regi, si revera eventurum erat? Consultus ergo ad instantiam regis Josaphat, respondet primo, quod placitum sciebat Achabo: *Ascende et vade, propera, et tradet eam Ramoth Galaad urbem*. *Dominus in manus regis*. Sed hoc per ironiam, quasi dicens: Quia vis ut loquar tibi non vera, sed bona et placentia; ecce loquor ad placitum. Adjutatus tandem ut verum loqueretur, annuntiat ei cladem ex responso divino. At hoc displicuit regi, et propterea Michæas percussus est in maxillam, jussus quoque a rege includi in carcerem et sustentari *pane tribulationis et aqua angustiæ*, donec e prælio reverteretur rex in pace. Verum is juxta verbum propheta in prælio occisus est, sicutque ut timendum, salutem etiam perdidit; quam, si Michæas credidisset, parare sibi potuisset, disponendo se ad beatam mortem. Quare cui mercedem debebat (multi enim dant aurum as-

trologis judicariis, eventura sibi, quacumque tandem fide, seu prospera seu adversa prædicentibus ei carcerem et tribulationem repedit. Quamquam hic non occidi, sed incarcerari tantum prophetam jussit. Crudelius multo populus Hebreorum sub Manasse rege exceptit Isaiam prophetam, inter alia vaticinantem, quod Deus Judæos excætaturus et reprobaturus esset, ac pro eis vocaturus gentes, juxta id apostoli ad Rom. X. Isaías autem audit et dicit: *inventus sum a non quærentibus me, etc.* nam serra lignea per medium divisit, ex communi Hebreorum et patrum traditione, apud Corn. in argumento super Isaiam. Verissimum id vaticinium erat, ut eventus docuit; sed quia Judæos acriter pupugit, et cor eorum dissecuit, ideo et Isaías ab illis dissecari debuit. Pari modo, quia vaticinia Stephanī Judæis quasi lapides erant in se projecti; ideo et ipse ab eis lapides accepit, e quibus gratiam accipere debebat. Eidem periculo subjacent concessionatores, qui impenitentibus et illusoribus prædicunt infaustum mortem ac denique infernum. Lapidantur enim pro mercede linguis obtrectantium ac deridentium; quæ sane non exigua ingratitudo est.

II. Redarguit Judæos quod proditores et homicidæ Christi fuerint, nec servarint legem, quam de manu angeli acceperunt; ideo lapidatus est. Vedit eos incredulos et odio Christi plenos, nec advertere animum ad defensionem et concionem suam; unde coepit dicere: *Dura cervice et incircumcis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut et patres vestri: item: Christi vos nunc proditores et homicidæ fuistis, quia accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis.* Audientes ergo hæc: *Dissecabantur cordibus, et stridebant dentibus in eum, etc.* Act. VII. En tibi necis causam. Unde S. Augustinus, ser. I. de hoc festo ait: *Elia, Stephane, dic aliquid de incircumcis cordibus, et morieris lapidibus.* Albus animal est, quod fel habet in aure, ut refert Holeot, in l. Sapientiæ, lect. LXXV. ex Alb. M. Tales erant Judæi, quibus prædicavit Stephanus: mox enim ut eorum aures lingua Stephanī tactæ sunt, quasi felle plenæ essent, ire incendium excitarunt in Stephanum. Mirum profecto hoc. Etenim mulieres pulchre ornatae placent aliqui viris etiam natura saevi et crudelibus, uti Judith Holoferni, Esther Assuero, Herodias Herodi; correctio vero ex se pulcherrima est, ostendens hominem sibi ipsi, qualis revera est, et emendans, pulchrumque reddens, si fedus est: interim tamen displicet. Si enim nuda pararet, invisa et odiosa est: si velo obumbrata, non agnoscebitur: si mitis, non commovet: si aspera, con-

turbat: quoquo tandem modo appareat, aut non aspicitur, aut ingrata est. Unde dicunt illi prophetis videntibus: *Nolite videre, et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt,* Isa. XXX. Vident enim in ea, veluti in speculo, suam fœditatem. Unde ferunt vetulam quamdam pauperem speculum pernuditum in sterquilinio repperisse, quæ mirata tam vili loco tam pulchrum jacere vitrum, accepit, facie admovevit; cumque deformitatem vultus sui in eo inspexisset, projecit dicens: *Merito ab omnibus abjectum in sterquilinio jaces, quod tam aperte deformitatem hominum manifestas.* Idem contigit pulchræ et perspicue morum correctioni, uti expertus fuit Joseph, qui accusavit fratres suos de crimine pessimo, oderunt eum, et projecerunt in cisternam, Gen. XXXVIII. Expertus Jeremias, qui a Phassur, cui minas prædicarat, conjectus est in carcerem, Jer. XX. Jonathas, qui a patre, cujus tyrannidem reprehenderat, lancea impetus fuit, I. Reg. XX. Joannes Bapt. qui ab Herode a se reprehenso decollatus, Marc. VI. Idem experiuntur hodie quicumque improborum mores carpunt, juxta id Amos V. *Odio habuerunt corripientem in porta(hoc est in iudicio), et perfecte loquentem abominantur.* Quemadmodum enim infirmi, qui medicinas horrent, etiam ipsa vaseula, quibus illæ continentur, aspicere non possunt; qui animo ægrotant, non modo correctiones, sed etiam correctores aversantur. Scio hominem, qui extreme laborans, summis precibus ab amico petiit, ut medicum venturum per scalas dejiceret: nihil minus insaniere Judæi, qui Stephanum medicum suum fidelissimum ejecerunt extra civitatem et lapidarunt. Nemo non censem ridendos et stultos fuisse Ægyptios, qui pastores abominationibantur (Gen. XLVI.) propterea, quod ipsi subinde oves aliquas sacrificaturi mactarent et comedarent, quas Ægyptii colebant quasi numina ut patet, Exod. VIII. §. XXVI. Nihilo plus sapient, qui oderunt pastores animalium, propterea quod eas sacrificare Deo conantur, ut mortua mundo, et vitius vivant Deo in virtutibus.

III. Moribus et vita adversariis suis dissimilimus fuit: hinc odium et lapides. Ut similitudo causa amoris, ita odii causa dissimilitudo est. Unde Ecclesiasticus, c. XXXIII. ait: *Contra malum bonum est, contra mortem vita: sic et contra virum justum peccator.* Sic Jacob et Esau inimici, quia hic pilosus et horridus, ille autem lenis et speciosus fuit. Verum Esau quidem odio habuit Jacobum et persecutus est, non tamen a Jacobo vicissim odio habitus est: quia præter odium, ex morum dissimilitudine ortum, occupatus etiam invidia fuit, propterea quod in fratrem jus primo-

geniture et paterna benedictio translatæ esset. Persequuntur ergo mali bonos (non vicissim boni malos; quia in malis nihil invidia dignum) eam ob causam, quod videant in ipsis præclaras aliquas dotes, quibus ipsi carent. Occidit Cambyses rex Persarum fratrem Smerdem, non regni æmulatione, cum frater ad obsequium paratus esset, sed mera invidia. Attraxerat frater Æthiopicum arcum, ipso rege et regis comitatu aliquando validius. Peperit juveni fortissimo lacertorum robur invidiam apud fratrem, invidia exitium, ut a fratre necaretur, Sabell. l. IX. c. II. Herodot. l. II. Caius Caligula imp. quod ipse deformis admodum esset, omnibus speciosis infensus fuit, et juvenem speciosum, Esium Proculum, ex invidia jugulari jussit, Sueton. in Caio; Ephestii Hermodorum in exilium ejecerunt: causam rogati, dixerunt, quod virtute et moribus reliquos cives anteiret, Franc. Sennens. l. de instit. reip. Jam ergo si intelligere volumus, cur Judæi Stephanum e civitate ejerint et lapidibus obruerint, in promptu causa est, quia plenus fortitudine omnibus legisparitis sese opposuit et longe præcelluit; forma etiam venustissimus faciem habuit angelicam, cœlesti quodam splendore condecoratam; moribus quoque ac virtutibus plane angelicis fuit; quorum omnium ipsi nihil plane habebant. Ergo ejiciatur Stephanus et moriatur: *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius,* Sap. II. Quemadmodum enim ueste polymita, hoc est, pluribus coloribus variegata, Josephi, quam cœteris pulchriorem fecerat illi pater, fratum oculos pupugit, ut non possent eum rectis intueri oculis, nec quidquam pacifice loqui, Gen. XVII. ita etiam virtutum plurimarum ornatus in Stephanō Judæorum oculos ferit, et manus lapidibus contra se armavit. Nihilo secius Gregorii VII. Pp. præclare virtutes schismaticorum, et in primis Henrici III. imperatoris odium et insidias contra ipsum incitarunt; qui proinde Roma ab illis occupata pulsus, Salernum profugit, ubi moriens dixit: *Dilexi justitiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio,* Otho Frising. l. VI. c. XXXVI. Quo modo etiam David dixit, Ps. XXXVII. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

IV. Fuit sectator, imo et spectator Christi in cœlo a se conspecti, ideo ejectus et lapidibus est obrutus. In primis enim falsi testes hinc eum accusant, quod dixerit Jesum Nazarenum destruc-  
turum esse templum. Sed quid hoc maleficii dicere, quod Christus aliquando facturus esset? Unde exclamat Gregorius Nyssenus, orat. de S. Stephanō: *O injustam audientium sententiam, quoniam Jesus mutabit leges, lapidetur Stephanus.* Sed nimi-

rum odio Christi, cuius sectatorem et prædicatorem esse videbant Stephanum, ipsum neci dederunt. Unde cum ipse diceret: *Video Jesum stantem a dextris Dei,* exclamantes continuerunt aures suas, et impetu unanimiter facto, ejecerunt eum extra civitatem, etc. quasi videlicet audissent terribilem blasphemiam, omni juris ordine prætermisso, impetum fecerunt in eum. Notandum vero ubi nos legimus, exclamantes, Græce haberi krazontes, hoc est, crociantes, more corvorum et cornicium. Quemadmodum enim corvi suis clamoribus insectantur accipitres prædam asportantes, eosque rostro et alis verberant, ut dimittere prædam cogant; sic Judæi illi, quia viderunt Stephanum prædam in corde gerere, Christum jamque ejus conspectu frui, et cum præda hac ad cœlum evolare, hinc corvorum instar eum adoriantur suis clamoribus et lapidibus, quasi prædam erupturi; haud dubie instigatore diabolo, qui virtute multa præditis, sicut pirata opulentis navibus, et latro pecuniosis viatoribus, maxime insidiatur: idemque per gentilium persecutions totis 300. annis actitavit, persequendo Christianos: illis vero deletis, per hæreticos exagitando catholicos. Scimus quid tentarit Valerianus imper. ut martyrem Laurentium thesauro Ecclesiæ in primis, deinde cum illo non posset, nobiliore altero, Christo spoliaret: frustra tamen. In actis S. Stephanī pap. et martyris legimus Tharsicum acolythum Romæ a militibus inventum, Christi corporis sacramenta portasse. « Discutientibus quid gereret, ille indignum judicans porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria, qui eum tamdiu fustibus et lapidibus mactarunt, quousque spiritum exhalareret, revolutoque ejus corpore, nihil valuerunt de sacriss mysteriis reperire. » Nimirum uti fratres Josephi, ubi audierunt fore eum aliquando principem, ab ipsis adorandum, moti indignatione, spem ejus dignitatis eripere ei conati, dicebant: *Ecce somniator venit: venite, occidamus eum, et tunc apparebit quid prosint illi sonnia sua,* Gen. LXXVII. ita Judæi Stephanō, et dæmones viris sanctis moliuntur insidias, quibus eos desplicant thesauro virtutum et cœlesti gloria.

V. Vedit cœlos sibi apertos, quod ab ipso mox ut audierunt: *Exclamantes voce magna, continuunt aures suas, et impetum fecerunt in eum, et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* En postrem causam: viderunt eum non esse civem terrestris Jerosolymæ, sed cœlestis, utpote cui cœlum jam ad ingressum reclusum audirent; itaque velut advenam et peregrinum hujus mundi ejecerunt extra civitatem. Sic nimirum, qui in hoc mundo peregrini sunt, non habentes perma-

## CONCIO V. AUCTARII.

nentem civitatem, expelli a mundi civibus debent, ne et ipsi mundi bonis inescati, querant sebi hic domicilium. Scimus Christum Dominum a Samaritanis in civitatem suam admissum non fuisse : *Quia facies eum euntis in Jerusalem, Lue. c. IX.* hoc est, habitu præ se ferebat Iudeum, qui non in montem Garizim (ubi Samariani adorabant) sed in Jerusalem pergeret ad solemnitatem. Talis et S. Stephanus erat; facies ejus erat euntis in celestem Jerusalem, in quam velet proximam jam intropiciebat : foras igitur expelli e civitate mundi debuit. Idem exspectent, quotquot cœli cives sunt. Tribulationes, eorum lapides sunt, quibus e mundo pelluntur velut e peregrino solio, ut ad patriam festinent. Sic compulit Deus Hebreos pergere ad desertum et terram promissam, lacte et melle manantem : a tergo immisit eis primo, Pharaonem cum exercitu, qui cogerat eos pergere per mare rubrum : deinde, Amalecum, qui et ipse cum manu valida a tergo eos invasit (siquidem extremos agminis, qui lassi residebant, cecidit, Deut. XXV.) ut euntis propelleret. Post hos suscitavit alios et alios hostes, regem Idumæum, Chananæum, Amoræum, Basan, Balac, qui perpetuo insequerentur eos, nec morari in peregrino solo permittebant. In hujus etiam rei commonitionem, cum desiderarent in via carnes, non alias eis dedit, quam coturnicum, quæ et ipsæ aves peregrinæ sunt, per spatio maria ad regionem nostram

estatemque migrantes, et per terram ambulantes citato gressu currunt; unde *currelia vulgo appellamus a currendo*, inquit Comestor, apud Aldron. l. XIII. ornitho. Quod etiam imitati Hebrewi in sua profectio, dixerunt ad regem Edom: *Tantum velociter transeamus*, hoc est, non detinebimus nos in via, permitte nobis solum transitum, Num. XX. Hos ergo, auditores, et nos imitemur. Advenæ et peregrini in hoc mundo sumus : quare viatorum instar velociter transeamus, nulla habita ratione voluptatum hujus sæculi, etc.

Quapropter : *Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus*, ait S. Joannes, I. Joan. III. quia nimirum de mundo non estis : nolite mirari aut tristari, si cum Stephano ejiciamini a terrestri Jerosolyma, quia vos de cœlesti estis; et potius lætamini, quia quos odit mundus hos amat Christus *Magis mirabile esset*, ait Didymus, *si pravi homines diligenter eos, qui secundum Christum pie vivunt*. Neque propter hoc odium vel hilum remittite de pietate vestra, sed potius quasi per antiperistasis magis vos intendite et corroborate, sicut calor objecto frigore. Accusent, rideant, doleant, ringantur, damnent, lapident. Sanguis vester ipsos accusabit et damnabit, vos autem glorificabit et Stephanos efficiet. Vicissim aliquando in eorum sanguine lavabit manus vestras, demonstrando videlicet coram toto mundo, ex illorum malitia vestram innocentiam.

## IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ

EVANGELIUM. JOANNIS XXI.

In illo tempore, dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cena super pectus ejus, et dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidiisset Petrus, dixit Jesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: Non moritur, sed: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: et scimus quia verum est testimonium ejus.

## CONCIONES.

- I. Aquila Joannis typus.
- II. Causæ cur præcipuo amore dilectus sit a Christo Joannes.
- III. Qui male sequantur Christum.
- IV. De quintuplici genere curiosorum.
- V. Cur benedicatur et bibatur vinum in festo S. Joannis.
- VI. Benedictiones in Ecclesia usitatæ defenduntur.
- VII. Documenta.
- VIII. Mysteria.

## CONCIONES AUCTARII

- I. Quinque Joannis prærogativæ.
- II. Stimuli ad sufferendas inimicorum injurias.
- III. Qui cum Joanne præcipue dilecti a Deo.
- IV. Sitis ebriosorum poculo benedicto extinguitur.
- V. Quomodo et nos in sinu Domini recumbere possumus.

## CONCIO I.

AQUILA S. JOANNIS TYPUS.

- I. Ob sublimem intelligentiam. — II. Ob amorem in Christum. — III. Ob longævitatem. — IV. Ob misericordiam et pietatem. — V. Ob contemplationis studium.

## THEMA.

*Recubuit in cena super pectus ejus. Joan. ult.*

Vidimus heri Christum gallinæ comparatum, sed qui secundum naturam humanam gallinæ se comparavit, eumdem secundum naturam divinam aquilæ comparavit Moyses, Deut. XXXII. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas.* Nec immrito; ut enim aquila in alto degit ab avium cæterarum societate separata et altissime volat, ut visu attingi nequeat, ita et Deus adeo procul ab omnium creaturarum cognitione distat, ut ad eum nec hominum, nec angelorum oculi pertingere ullo pacto queant. Hujus aquilæ proles est

## V. PARS FESTIVALIS.

Joannes, qui et ipse Ezech. I. per aquilam figuratur, ut consentiunt ss. patres et demonstrat ejus pictura; proles, inquam, præ cæteris dilecta, ut patet ex hodierno evangelio, dum vocatur *discipulus quem diligebat Jesus*. At nunc videamus, quibus in rebus comparetur aquilæ.

I. Prima et potissima causa assignatur a patribus, quod quemadmodum aquila volatu suo omnes aves transcendit et acie oculorum omnes superat, ita ut solem recta intueri queat: ita Joannes evangelio suo super omnes volavit evangelistas, et usque ad conspectum deitatis Christi penetravit. Unde Ezech. I. *Visa est desuper ipsorum quatuor; ubi S. Gregorius, ib. ait: Joannem seipsum transcendisse. S. August. tract. XXXVI. in Joan. ait: « Cæteri evangelistæ tamquam cum homine dominio in terra ambulabunt et de divinitate ejus pauca dixerunt. Istum autem quasi pugnerit in terra ambulare, sicut ipse sui sermonis exordio intonuit, erexit se non solum super terram et super omnes ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum angelorum,*